



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos
instructa**

Busaeus, Johannes

Moguntiae, 1608

E.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)



E

EBRIETAS

Remedia contra Ebrietatem.

P R I M U M Remedium. Considera quid Spiritus sanctus in S. scripturis in Ebrietatem dixerit. Primò enim monet vt eam fugiamus apud B. Lucam. *Attendite vobis, ne forte grauentur corpora vestra in crapula & ebrietate.* 2. denūtiat ea iram Dei Luc. 21. 34. prouocari. nam sic loquitur apud Isaiam. *Va qui cōsurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperam, vt vino astuetis.* Et. *Va qui potentes estis ab bibendum vinum, & viri fortes ad miscendā ebrietatem.* Tum apud Salomonē. *Cui va, cuius patri va, cui rixa, cui fouca, cui sine causa vulnera, cui suffosio oculorum nonne his qui commorantur in vino & student calicib. epotādīs?* 3. mentem abalienari, apud eundem. *Ne intuearis vinum, cum splēduerit in vitro color eius, ingreditur blande, sed in neuissimo mordebit vt coluber.* Et apud Prophetam Abācuc. *Va qui potum dat amico suo mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius: repletus es ignominia pro gloria.* Atq; Isaiam. *Sacerdos & Prophetā nescierūt prae ebrietate, ab sorpti sunt à vino.* Et Ozeam. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* 4. libidinem inflammari. Nam in Prouerbiis. *Luxuriosa, inquit, res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Et in epist. ad Ephesios. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* 5. ea iacturam fieri vitæ & fortunarum. Vt apud Ecclesiasticum. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adiciet vitam.* Et. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Et. *Vinum multum potatum irritationem & iram, & ruinas multas facit.* 6. amitti felicitatem æternam. Clarè enim Apostolus ad Galatas scribit, *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, &c. dissensiones, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et ad Corinthios. *Nolite errare; neque fornicarij, neque sures, neque auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. 10.

II. REMED. Considera, quam acriter S. Patres eam insectati sint. S. BASILIUS homilia in Ebrietatem. *Ebrietas demon est voluntarius ex voluptate animis nostris inditus. ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortè virum red- dit ignauium, ex temperante facit lasciuum, iusticiam ignorat, prudentiam extinguit.* Basil. hom. 14.

Amb.c.16.

Ca.17.

Hieron.13.
comment.
1. Cor. 6.10.
Luc.21.34.Chryf. hom. 57.
Luc. 21.34.
Luc. 16.
Id. hom. 6.

Aug. serm. 231.

Serm. 231.

Hid. l. 2. c. 47.
Ira. 5. 22.

en. ep. 83.

Sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum in modicum rationi, &c. Quid quaeso sunt ebrj aliud, quam gentium idola? Oculos habent, & non vident. S. AMBROSIVS in libro de Elia & ieiunio. Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuū insania, ebrietas venenum insipientia. Hæc sensus hominū mutat & formas: per hæc fiunt ex hominib. equi adhinntentes, &c. Vocē amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt. Et infra. Quid autem obestationes potentium loquar? quid memorem sacramēta quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquit, pro salute Imperatorum, & qui non biberit sit reus in deuotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius salute nō biberit. O pia deuotionis obsequium, &c. O stultitia hominum, qui ebrietatē sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placere, qui ieiunio passiones sustinere didicerūt. S. HERON, in cap. 5. in epist. ad Galat. Quartumdecimum locum inter carnis opera ebrietas apud Apostolū tenet. Ebrj quippe regnum Dei non possidebunt. Et Dominus ad discipulos: Cauete, ait, ne forte grauetur corda vestra vino & crapula. Vno hominis sensus euertitur, pedes corruunt, mens vacillat, libido succenditur, &c. Pulchrè quidam non ignobilis orator, cum ebrjū de somno describeret excitatum, ait. Nec dormire excitatus, nec vigilare ebrjū poterat. Qua sententia expressit, quodam modo nec mortuum eum fuisse, nec viuum. B. CHRYSOST. ad populum Antioch. Vbi ebrietas, sibi diabolus: vbi turpia verba, vbi saturitas, illi dæmones choreas agunt. Talem habebat mensam diuus ille epulo, propterea ne quidem gutta aquæ Dominus fuit. Et iterum. Ebrjū demon est voluntarius, mortuus aut matius, morbus veniam non habens, rursus excusatione carens, cōmune generis nostri opprobrium. Non enim in conueniētib. tantum inutilis ebrjū, aut in priuatis & publicis negotiis, sed & solo aspectu est omnium grauisimus, fetores exhalās, teterrimos, eructationes & oscitationes. Et in Matthēū hom. 58. Quanto melior asinus ebrjū est, quanto canis præstantior? Omnes certè bestia, cum bibunt aut comedunt, vltra quam satis est non sumunt, etiā si mille homines cogere. D. AVGVSTIN. in sermonibus de tempore. Cum ebrietatis malum sit graue vitium, & Deo odibile, ita per vniuersum mundum à pluribus in cōsuetudinem missum est, ut iam nec putetur esse peccatum, &c. Et omnes ebrjūtales sunt, quales paludes esse videntur. Nascuntur in illis sanguisuga, rana, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quā aliquid, quod ad vitium proficiat, exhibere. Et rursus. Qui credit ebrietatem paruum esse peccatum, si se non emendarit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna sine remedio illum pœna cruciabit. B. ISIDOR. de summo bono. Pleriq; laus est, multum bibere & non inebriari. Audiant hi aduersum se dicentē Prophetam. Væ qui potētes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Ex Ethnicis instar omnium sit SENECA ita ad Lucillum scribens. Dic quam turpe sit, plus sibi ingerere, quam capiat, & stomachi sui non esse mensuram: quam multa ebrjū faciunt, quibus sobrii erubescant: nihil aliud esse ebrietatem, quam voluntariam insaniam, &c. Omne vitium ebrietas & intendit, & detegit, obstantē malis conati bus verecundiam

recundiam rem ouer. Vbi possedit animū nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Et paulo post. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicosasque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defensionia pace fecit: hæc contumacissimos et iugum recusantes in alienū egit arbitrium: hæc inuictos acie mero domuit.

III. REMED. Considera exempla eorum, qui propter ebrietatem grauitur deliquerunt. Noë, licet perfectus in generationibus per ebrietatem nudatus est in tabernaculo suo. Loth, quem Sodoma non vicit vino inebriatus geminū commisit incestum. Sampson repletus vino per meretricem hostibus tradidit: Holopherni quia plus quam vnquam alias biberat, caput à Iudith resectum est. Filii Iob dum vinum bibunt ruina domus oppressi sunt. Herodes inter pocula S. Ioannem Baptistam capite mulctari iussit. Diues epulo ob excessum in potu, ne guttulam quidem aquæ post hanc vitam, inquit, Chrysostr. habere meruit. *Refer, inquit Seneca loco citato; Alexandri Macedonis exemplum, qui Chytum carissimū sibi ac fidelissimū inter epulas transfudit, et intellecto facinore mori voluit, certe debuit. &c. Quem tot itinera, tot praelia, tot hyemes, per quas victa temporum locorumque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tutū dimiserunt, intemperantia bibendi, et ille Herculeus ac fatalis scyphus condidit.* B. AVGVSTI-
 NVS, vel quisquis est auctor sermonum ad fratres in eremo; pro conuersione dixit. *Accidit hodie terribilis casus, ut omnes audistis; propter quem ad Ecclesiam Hipponensem etiam feminas et infantes congregari præcepi. Ecce præclarissimus civis noster, et fere dilectus ab omnibus Cyrillus filium habebat, ut scitis; quem corrigere nolebat, et luxuriosè viuendo insumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietate perpeffus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, et duas sorores vulneravit ad mortem.* THOMAS Cantiprat. libro secundo Apū ex relatione fratris ordinis Prædicatorum. *In Gallia erant honesti, inquit, quidam viri in taberna et bibeant; cumq; incaluisset mero, inuectus est sermo quid futurum sit post hanc vitā. Tunc vnus, vanissime decipimur à clericis, qui dicunt animas sine corporibus viuere post ruinā. Hoc dicto omnibus in risum concitatis aduenit homo statura magnus et fortis, et residens cū illis vini postulat, bibit, querit que quis inter eos sit sermo. De animabus, inquit ille, qui supra. Si quis meam vellet emere, optimo pretio darem eam, et de pretio in communi ad bibendum omnibus. Tunc cachinnantibus omnibus, ille qui superuenerat. Talem, inquit, mercatorem quero: paratus sum eam emere, dicito quanti dabis? Et ille elato vultu. Tanti inquit. Mox conuenientibus eis in pretio, soluit emptor statim pecuniam, et latantibus omnibus, biberunt pleno calice, non curante quiquam illo, quod animam suam vendidisset. Vespere autem facto, tempus est, inquit emptor, ut quisque nostrum ad propria reuertatur. Vos tamen antequam separemur ferte iudicium. Si quis equum emerit, capistrum vinculo alligatum, nunquid cum equo in ius ementis cederet et capistrum?*

Gen. 9.

Gen. 19.

Judith 11. c. 6.

Iob 1.

March. 14.

Luc. 16.

Aug. serm. 337.

Thom. c. 56.

Cui:

Cui omnes pariter responderunt, utique cederet. Nec mora, venditorem questionis et responsionis horrore trementem, emptor cum anima et corpore videntibus omnibus sursum eleuauit in aëra, et secum, ut certum est, ad inferna pertraxit, diabolus enim erat in hominis specie.

IV. R E M E D. Abstine à conuiujs, alijsq; conuenticulis, in quibus est potandi occasio, iuxta monitionem Sapientis. *Noli esse in conuiujs potatorum, nec in comessationibus eorum.* Habes exempla illustria duorum sanctorum, Ambrosii & Augustini, qui, ut scribit Possidius. *neq; in patri a petiti ibant ad conuiuium, ne temperantia amitteretur modus.* Quod si commodè te ab omnibus subducere nō potes, vel quia à principe viro inuitaris, vel à superioribus interesse iuberis, vide ne limites sobrietatis excedas, quos tibi excedere nunquā licet, etiamsi à Rege ad bibendum cogereris. Sic enim scribit B. AUGUSTINVS. *Solent ebriosi ita se excusare, ut dicant. Persona potes me coegit, ut amplius bibam, et in conuiuio regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, et quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Etiam si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur. Aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falso obicitur. Ipsi enim reges, et quicumq; alij potentes, et c. si te viderent desinisse, ut eis non acquiescas pro timore Dei inebriari, si tibi sub hora videantur irasci, postea verò te in grandi admiratione suscipiunt discentes. Quantis eum minis et terroribus fatigauimus, et tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus? Et paulo post. Ille qui ebriatus resistit, si cum Dei adiutorio perseverarit, et pro ipsa ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad Martyrij gloriam reputabit.*

V. R E M E D. In potu ne quare voluptatem, sed tantum vitæ sustentandæ, roborandarumque corporis vitium necessitatem. Ea de causa Apostolus Timotheo suo aquæ potatori præcepit, ut modico vini vteretur ob frequentes eius infirmitates. Quem finem honestum vel alium, si animo infixum habueris facile pretiosiora vina declinabis, quæ corpora grauare solent. Certè seruo Dei carnem cum concupiscētis suis crucifigere conanti indignum est in potu quærere oblectamentum; imo sanctum & iustum esset illi, optare, si fieri posset, citra vllum sensus gustum, naturali necessitati tantum facere satis, ut hoc magis assimilaretur Christo ab omnib. voluptatib. terrenis alienissimo, sanctisq; omnibus, qui tam longè ab erant à studio venandæ alicuius illecebræ in potu, ut data opera varios modos excogitarint esculentis poculentisq; omnem adimendi delectationem. Quam autem carnali homini durum, asperumue sit hoc remedium prolixè declarauit B. Augustinus in Confessionum libris. *Quis est Domine, inquit, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Et rursus. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sum-*

ptius

Prou. 23. 20.

Possid. in vita
Aug.

Aug. serm. 232.
de temp.
Psal. 149.

I. Tim. 5.

Gal. 5. 14.

Medicina ama-
ra.
Aug. l. 10. c. 31.

pius accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentia molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentia. Ipse enim transitus voluptas est, & non est alius, quàm transeat, quam quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adiungit sese tanquam pedisse qua periculosa iucunditas, & plerumque praire conatur, ut eius causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo: nec idem modus utriusque est, nam quod salutis satis est, delectationi parum est. Et saepe incertum sit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo praeparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.

VI. REMED. & optimum est, ab omni vini usu abstinere, quo innumerales sancti haecenus, quo longius ab Ebrietate abessent, usi fuerunt. Sapiens inquit, Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum Eccl. 1. 3. transferrem ad Sapientiam, deitaremque stultitiam. Spiritus sanctus certe laudat apud Ieremiam Rechabitas, quod vinum ut parerent Ionadab patri suo, Ierem. 35. 18. non biberint. Laudat & Daniele, quod vino, aqua sola contentus, cum Dan. 1. & 10. sociis abstinerit. Gabriel Archangelus inter admirandae sanctitatis Ioannis Baptistae indicia ponit, quod vinum, siceramue non sit bibiturus. Luc. 1. 15. Euseb. lib. 2. c. 7. Eusebius in historia Ecclesiastica commemorat S. MARCVM Evangelistam primis fidelibus in Ecclesia Alexandrina degentibus inter caetera virtutum exercitia à vino abstinentiam commendasse. D. Augustinus Aug. c. 30. libro primo de moribus Ecclesiae, agens de Episcopis, sacerdotibus, diaconis & monachis in Ecclesia Dei suo auro florētibus, eos laudat, quod à vino abstinerint. S. HIERONYMVS in caelum ferens Palaestinae monachos, scribit ne agros quidem sibi vinum indulgisse: imò hortatur sponsas Christi, hoc est, sacras virgines, ut vinum fugiant perinde ac venenum. Hier. ad Euseb. de Virg. cp. 12. Si quid, inquit, in me potest esse consilij, si expertus creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Haec aerversus adolescentiam prima arma sunt demonum, non sic auaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facile caremus aliis vitiis, hic hostis nobis inclusus est: quocumque pergitur, nobiscum portamus inimicum. Vinum & adolescentia duplex est incendium voluptatis, quid oleum flammae adiunimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Neque mirere Hieronymum adolescentibus adimere vinum, cum & gentiles olim, ut Romani, teste Aeliano, usque ad annum aetatis trigessimum, us ademerint. Aelian. lib. 10. var. hist. c. 9.

VII. REMED. Quod si tibi vel non libet, vel non licet, aut expedit ad tantam aspirare perfectionem, ut omne vinum ableges cereuisia vel aqua contentus, reuoca saltem prauam nimium bibendi consuetudinem paulatim ad iustam moderationem, & si difficultas in ea peruincenda occurrat, diuinam opem cum eo qui dixit, omnia possum in eo qui me Phil. 4. 13.

M confortat,

confortat, implora. Ita consuluit B. AVGVSTINVS in sermone 331. de tempore. *Qui sunt, inquit, ebriosi, cum Dei adiutorio de luto facis se excutiāt vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus penitendi est festinent, quanta possunt celeritate Deo auxiliante consurgere, & totis animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant. Eripe me de luto, vt non inbaream, &c. Sed hic ante omnia scire debemus, quia non vna die efficiūtur homines ebriosi, sed cum paulatim per singulos dies singulos sibi, aut binos calices ad potum consuetudinarium addunt. Sic qui se de hoc malo desiderat liberare, paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui enim per partes aliquid subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur, & intolerabilem inferni pœnam non patietur. Et in libris Confession. Audio vocem iubentis Dei mei. Non grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Ebrietas longè est à me, misereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam surrepit seruo tuo: misereberis, vt longè fiat à me. Nemo enim esse potest continens, nisi tu des. Multa nobis orantibus tribuis, & quicquid boni, antequam oremus, accipimus, à te accipimus, & vt hoc postea cognosceremus, à te accipimus. Ebriosus nunquam fui, sed ebriosos à te sobrios factos ego noui. Ergo à te factum est, vt hoc non essent, qui nunquam fuerunt, à quo factum est, vt hoc non semper essent qui fuerunt: à quo etiam factum est, vt scirent vtrique, à quo factum est. Ac tandem concludit. Itaque freni gutturis temperata relaxatione & constrictione tenendi sunt.*

VIII. REMED. Caue, ne quenquam inducas ad inebriandum se, vel directè, hoc est, intendendo vt ille se inebriet, vel indirectè vt compellendo ad potum, quem verisimile est inebriandum; nam secundum D. Thomæ, aliorumq; Doctorum sententiam non esses immunis à peccato mortali, eo quod cooperari malo, perinde sit atque malum perpetrare. Vnde B. AMBRASIUS, dum prolixè describit potatorum mores in libro de Elia & ieiunio. Rogas, inquit, ad iucunditatem, cogis ad mortem. Et S. AVGVSTINVS, in citatis sermonibus de Tempore. Si & te, ait, & alium inebriaueris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et rursus. Quicumq; me audire contempserit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio suo alios adiurare, vel cogere voluerit, pro se, & pro illis in die iudicij reus erit. Et iterum. Qui alterum cogit, vt se plus, quam opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatem necaret.

VIDE V. Amor sui. Chorea. Consuetudo praua. Gula. Immortificatio passionum. Luxuria. Societas praua. Voluptas carnalis.

Psal. 68. 15.

Aug. lib. 10. c. 31.
Luc. 21. 34.

Crapula est in-
temperantia
venialis.

Amb. c. 13.
Aug. serm. 270.
251.

EXEM

EXEMPLVM MALVM, VEL
SCANDALVM.*Remedia contra exemplum malum.*

I R E M E D. Considera quid Spiritus sanctus de malo Exemplo in sacris litteris tradiderit. Primo enim monet, ne nostro exemplo cuiquam offendiculo simus, & occasionem præbeamus delinquendi. Ne ponaris, inquit Apostolus, offendiculum fratri, vel scandalum. Et. Nemini dantes Rom. 14. 21. ullam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. 2. monet, ne attendamus ad exemplum vulgi, vel multitudinis. Non sequeris, inquit in Exo. Exod. 23. 2. do Deus, turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquiescent sententia, vt à vero deuias. 3. declarat, quam grauius peccet, qui prauum exemplum aliis præbet. Va mundo, inquit Christus apud Matthæum, à scandalis, va homini, per quem scandalum venit. Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis minimis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Et B. Paulus. Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, iam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Et. noli propter escam destruere opus Dei. Et rursus. Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis. 4. monet, vt ab eorum societate, qui scandalum præbent, nos segregemus. Si oculus tuus dexter, ait Saluator, scandalizat te, erue eum, & proiice abs te; & si manus tua dextera scandalizat te, abscinde eam & proiice abs te. Vnde & Petrus, scandalum aliquod sermone suo aliis danti, respondit. Vade post me Satana, scandalum es mihi.

II. R E M E D. Considera quid idem Spiritus sanctus tradiderit de exemplo bono. Primò enim generatim omnes hortatur, vt aliis bonum exemplum præbeant. vt in epist. ad Romanos. Vnusquisq; vestrum proximo suo placeat in bonum ad edificationem. Et ad Corinth. Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui sunt. Et ad Philip. Sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis praua: inter quos luces, sicut luminaria in mundo. Et rursus. modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Et in priore epistola B. Petri. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. 2. speciatim aliorum superiores. nam Christus apud Matthæum ad Apostolos ait. Vos estis lux mundi, sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est. & Paulus ad Timotheum. Exemplum esto fidelium in verbo, & conuersatione, in caritate, in fide, in castitate, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Et ad Titum.

- Tit. 2. 7. In omnibus præbe te exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Ac B. Iacobus. *Quis Sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientia.* 3. docet exemplum Christi imitandum, & sanctorum. *Exemplum dedi vobis*, ait Christus ipse cum lauisset Apostolorum pedes, *vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* & S. Petrus. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Isaias Propheta. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, qua peperit vos.* Matathias in libris Machabæorum ad fortiter pro Dei legibus pugnandum commemorat exemplum Phinees. Paulus ad Hebræos. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis imitami fidem.* Et ad Corinthios. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*
- Bas. q. 64. III. REMED. Considera dicta SS. Patrum. B. BASILIUS in regulis breuior. Sane scandalizat aliquis, quando cumq; dictis, factisue legē violat, & exemplo suo ad legis violationē inducit, vt serpens Euam, & Eva Adam. Vel quando cumq; prohibet exequi voluntatē Dei, vt Petrus Dominum, quando dixit. *Abstine a te Domine, non erit tibi hoc, cui tunc dictum est.* Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Vel quando adificat animum imbecillius ad aliquid eorum, quæ vetita sunt, secundum quod scriptum est ab Apostolo. *Si quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolo recubentem, nonne conscientia eius, cum sit infirma, adificabitur ad manducandum idolothyta?* Et infra. *Si in iis quæ in potestate nostra sunt res adeo formidabilis est fratrem scandalizare: quid de iis dicendum erit, qui rebus vetitis faciendis, loquentisue scandalizant, maxime quando vel scientia motore præditus videtur, vel in gradu aliquo censetur sacro, vt cæteris tanquam regula, exemplarue propositus esse debeat?* GREG. NAZIANZ. in Apologetico. *Præclare cum eo agitur, qui nec peccando, nec suspitione laborando quamdiu fieri potest, ac ratio finit, offensionis, scandalique materiam multitudini præbet: quippe cum iis etiam, qui vnum ex pusillis offenderint, quæ certa, quamq; atrox & acerba ab eo, qui mentiri nescit, pœna constituta sit, non ignoremus.* Et oratione in laudem Basilii sub finem, eum tanquam communem virtutis tabulâ & exemplum omnibus Ecclesiis & hominibus proponit, in quod intuentes velut in viam quandam legem, vitam suam dirigant. Similiter GREG. NYSSENSUS in enarratione vitæ Moseos. *Per Prophetam, inquit, Isaiam, diuina vox clamat. Attendite ad Abraham patrem vestrum: vt quemadmodum qui viuentorum à recta navigationis via in pelagus exalti sunt si ad ignem, vel cacumen montis respexerint, facile se ab errore in tutum reducant: sic quicumq; huius vitæ fluctibus oppressi à virtute aberrant, exemplo Abrahæ quasi gubernaculo ad diuinam voluntatis portum reuocantur.* Et paulo post. *Idcirco enim credendum est præstantissimorum virorum vitas exquisitissime descriptas, vt vitæ nostræ imitatione ad virtutem rectius deducatur.* HIERON. in ep. ad Gerontiam, de monogamia. *Fuge personas, in quibus potest mala conuersationis esse suspicio: nec*

paratum habes illud à trinito. Sufficit mihi conscientia mea, nō curo, quid de me loquatur homines. Et certè Apostolus providebat bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus. Habebat utique potestatem sororem circumducendi, sed nolebat se iudicari ab infideli conscientia, &c. Si scandalizat, inquit, esca fratrem, in aeternum carnem non manducabo.

AVGVSTINVS in sermonibus de tempore. Nemo se circumueniat, fratres carissimi, nullus homo sibi solum modo viuat, & sicut frequenter suggesti, quanto scun- que aliquis exemplo sancta vitæ adificauerit, cum tantis & pro tantis mercedem retri- buitionis beatæ vitæ accipiet: & quanto scun- que exemplum malæ conuersationis, etiam si cum illi non sequantur, præbuit, pro tantis se malis rationem nouerit redditurum.

S. LEO. I. in sermone de S. Laurentio. Facilis ad exhortandum fit ratio, efficax ad suadendum. Validiora tamen sunt exempla, quam verba, & plenius est opere docere, quam voce. Eodem spectat quod non semel B. GREGORIUS docet plus exempla mouere, quam verba: & ad amorem patriæ cœlestis, quosdam incitari magis exemplis, quam prædicamentis. Et B. BERNARDVS. Sermo viuis & efficax exemplum est operis, facile persuadens quod intendimus, dum facti- bile esse probat quod suademus.

IV. REMED. Considera, quid doctissimi Ethnicorum de vi & effi- cacia exemplorum scripserint. Duo illa, inquit Cicero, nos maximè mouent, similitudo & exemplum. Et alibi. Quod exemplo fit, id etiã iure fieri putant homines. Et SENECA ad Lucilium. Longum ita est per præcepta, breue & efficax per ex- empla. Zenonem Cleanthes nō expressisset, si eum tantummodo audisset. Vita eius inter- fuit, secreta perspexit, obseruauit illum, an ex formula sua uiueret. Plato & Aristote- les, & omnis in diuersum iura sapientum turba plus ex moribus, quam ex verbis So- cratis traxit. Idem epist. ii. docet animo fingendum talem magistrum vir- tute præstantem, si re ipsa desit, coram quo viuamus. ARISTIDES apud Platonem in Theage sub finem sic loquitur. Ego, ô Socrates nihil vnquam à te didici, ut & ipse nosti, proficiebam au:em, quoties tecum vna eram, etiam si tantum vna in domo essemus, quanquam non in eodem cubiculo: magis tamen, si quando in eo- dem etiam cubiculo. Et tum quoque magis, si in te dicentem intuerer, quam si oculos vllam in partem dirigerem: multo autem maximè ac plurimum proficiebam, si quan- do proximè te sederem, & haberem tibi. Cur autem plus exemplis quam ver- bis & doctrinæ credatur, causam reddit loco citato Seneca, quia homi- nes plus oculis credunt quam auribus. Cum quo conuenit illud Horatianum, Sequitur irritant animos immissa per aures, quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Aristoteles verò: quia quisque procliuor est ad eligendum bonum in particulari, quam in vniuersali, licet hoc illo fit diuinius. Nam quod o- pere & exemplo ostenditur, videtur ab operante electum. Vnde B. Io- annes, Non diligamus, inquit, lingua, neque verbo, sed opere & veritate. Et B. LV- cas scripsit Christum prius coepisse facere, deinde docere.

V. REMED. Considera, quantus fructus vel ex vnus hominis pii & sancti exemplo sit consecutus. Nam imprimis ex vnus Christi Saluatoris exemplo consecuta est Apostolorum, discipulorumq; Christi, ac per eos & successores eorum totius orbis vsq; ad nostram ætatem conuersio. Idcirco enim iuxta SS. Patrum doctrinam Christus, cum esset filius Dei naturam humanam assumpsit, factus similis nobis homo, vt hoc visibili exemplo omnes ad veram virtutem informaremur. *Ideo, inquit B. BASILIVS in constit. monastic. naturam humanam suscepit, vt in se velut in tabula quadam veram nobis pietatem depingeret, eamq; omnibus ante oculos statutam pro viribus imitandam, seu archetypum proponeret. Nec enim alia de causa corpus nostrum gessit, nisi vt quoad fieri possit, ad imitanda vitæ ipsius studia conformemur.* Deinde notum est quot millia hominum ex vnus B. ANTONII, BASILII, HIERONYMI, AVGVSTINI, BENEDICTI, ROMVALDI, BRVNONIS, BERNARDI, DOMINICI, FRANCISCI, IGNATII, & aliorum exemplo commoti sint ad vitam religiosam eremiticam vel cœnobicam ducendam: Quam multi vnus sæpè martyris in perferendis tormentis constantia, ad fidem Christi complectendam, sanguinem etiam pro ea profundendam sint pellecti. Quanto numero etiam hoc seculo ad sodalitatem B. Virginis, aliasq; piè institutas omnis ætatis homines se certatim, ob præclara pietatis exempla quæ in sodalibus cernunt, se adiungant. Quam pauci deniq; ad veteres religiosorum cætus, in quibus vetera sanctitatis exempla defecerunt, se aggregare soleant. AVGVSTINVS sanè disertè fatetur in octauo Confessionum libro se conuersione Victorini doctissimi senis, & omnium liberalium doctrinarum peritissimi, quam illi narrauerat Simplicianus, ad suam conuersionem permotum. *Vbi, inquit, homo tuus Simplicianus de Victorino isto narrauit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim et ille narrauerat. Et cum postea graui lucta carnis & Spiritus exerciaretur, dubitaretque num castitatem seruare posset, rursus exemplorum præsidio hanc tentationem discussit. Aperiebatur, inquit, ab ea parte qua intenderam faciem casta dignitas continentia, serena et non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem, neque dubitare m, et extendens ad me suscipiendum et amplectendum piæ manus plenas gregibus honorum et exemplorum. Ibi tot pueri et puella, ibi iuuentus multa, et omnis ætas, et graues viduæ et Virgines anus, et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fecunda mater filiorum. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret. Tu non poteris, quod isti, et istæ? An verò isti, et istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Proiice te in eum, noli metuere, nunc se subtrahet, vt cadas. Proiice te securus: excipiet te, et saluabit te. Huius generis exempla passim exstant quamplurima.*

VI. REMED. Crebro peruolue Sanctorum historias, è quibus amplè tibi suppedabit optimorum exemplorum seges. idque facies plurimorum

morum sanctorum exemplo, maximè B. Antonii, Dominici, Thomæ
 Aquinatis, Brigittæ, aliorumq; qui vt habes in eorum vitis apud Suriũ,
 & ipsi eas lectitabant, & aliis earum lectionem commendabant. Dein-
 de & totius Ecclesiæ Catholicæ, in qua vsus iam olim increbuit Marty-
 rologiũ legendi in anniuersario cuiusq; sancti die, & nunc obtinet vitam
 præcipuorum quorumque sanctorum recensendi in officio diuino vel
 Breuiario. Eodem spectant sanctorum festa, in quibus res à sanctis gestæ
 non solum decantantur, sed etiam pro concione exponuntur, *ad excitan-*
dam, vt loquitur B. AUGUSTINVS in libris contra Faustũ, eorum imitatio- Aug. lib. 20. c. 20.
nem. Et publica Calendaria nominibus sanctorum in singulos dies æquè
 apud hæreticos atque Catholicos signata. Adhæc imagines & statua in
 templis, & alibi, res à sanctis gestas exprimentes. Tum sanctorum certo-
 rum patrocinia, à quolibet pro arbitrio delectorum, & menstrua eor-
 rundem in sodalitatibus quibusdam sortito factæ electiones. Hæc enim
 nulla alia de causa excogitata sunt, vel inducta in mores, quam vt tam
 crebra commemoratione eorum, ad consecrandam eorundem vitam,
 & pietatem magis magisque accenderemur. Quantus autem profectus
 vel ex sola priuata lectione vitæ sancti existere possit duobus tantum ex-
 emplis, vt cætera omittam, doceri potes. Vnum habes in Augustino ex Lib. 8. confes-
 relatione Potitiani de duobus Imperatoris aulicis, qui cum extra vrberem c. 6.
 Treuironum forte incidissent in casam quandam eremiticam, ibique co-
 dicem, in quo scripta erat vita S. Antonii Aegyptii, perlegissent, sic am-
 bo accensi sunt sectandæ illius vitæ religioz desiderio, vt relicta mili-
 tia seculari se extemplo diuino seruitio consecrarint. Et ambo, inquit
 Augustinus, habebant sponsas. Quæ posteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam
 ipsa virginitatem Deo. Alterum est B. P. N. IGNATI Societatis IESV fun-
 datoris, qui, vt prolixè in eius vita refert Petrus Ribadineira, cum mili- Rib. lib. 1. c. 2.
 tia seculari item deditus, lecto que ob læsum grauitè pedem affixus co-
 dicem sibi aliquem porrigi, fallendi temporis ergo, postulasset, nec alius
 ad manum esset, nisi qui vitam CHRISTI & sanctorum contine-
 ret, lectione illa sensim ita immutatus est, vt abiectis armis, mundo-
 que contempto totum se diuino cultui manciparit, ac tandem viros
 doctissimos propositi sui sectatores sibi adiunxerit, ac religionem So-
 cietatis Iesu iam toto orbe sparsam, à sede Apostolica sæpè approba-
 tam, condiderit.

VII. REMED. Vnius pluriusmè virtutè & doctrina præstantium
 vitam moresque tibi imitandos propones, sicut Philosophi illi veteres vi-
 tam Socratis. Sic enim monet Spiritus sanctus per Sapientè. Cum Sapien- Eccli. 9. & 37.
 tib; inquit, et prudentibus tracta. Et. Cum viro sancto a fidus esto, quemcumq;
 cogoueris obseruanciam timorè Dei, eius anima est secundum animã tuam. Deinde
 S. Patres

Amb. c. 43.

S. Patres, AMBROSIVS libro primo de officiis. *Sequitur conuersionis electio, ut adiungamur probatissimis quibusq; senioribus. Namq; ut aequalit̄ vsus ductior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namq; si hi qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quanto magis adolescentes cum senibus debent nouū sibi iter vitæ aggredi, quo minus errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere.*

Hier. ep. 7.

HIERONYMVS ad Lætam, de institut. filia. *Proponatur ei (Lætæ) proba fidei ac morum, & pudicitia virgo veterana, qua illam doceat, & assuescat exemplo ad orationes & Psalmos nocte confurgere, mane hymnos canere: tertia, sexta, nona*

Cass. lib. 4. c. 38. & 49.

IOAN. CASSIAN. libro quarto de institutis monast. *Considera te de paucis & electis effectum, & ne exemplo ac tepore multitudinis refrigescas, sed viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Et infra. Exempla tibi sunt à imitationis, ac vitæ perfectæ in congregatione commoranti à paucis, imò ab vno vel duobus, nō à pluribus expetenda. Hoc antidotum, quam salutare sit, multi sanctissimi viri exemplo suo declararunt. ac in primis S. ANTON. quem scribit B.*

Athanas. in eius vita.

ATHANAS. adhuc tyronem, monachorum, qui tum nondum in solitudines se abdiderant, sed in villis extra urbem commorabantur obiuasse cellas, obseruasseque sedulo singulorum virtutes & mores, vt eos imitari posset; idemque postea sectatoribus suis præscripsisse auctor est CASSIAN.

Cass. l. 5. c. 4.

libro 5. institut. monast. *Vetus est, inquit, beati Antonij, admirabilisque sententia monachum spiritalia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam debere vnāquamq; virtutem ab his, qui eam familiarius possident deslorare, & in sui pectoris vase recondere. Cūctas namq; si ab vno volumus mutuari, aut difficile, aut certe nunquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri. Quæ sententia licet videatur pugnare cum superiore eiusdē Cassiani dicentis à pluribus non esse expetenda exempla, non tamen pugnat, quia etsi à pluribus flosculū aliquem virtutis decerpere possent, non tamen debebant, nisi vnum aliquē aut duos tanquā spiritalis vitæ duces & magistros sectari. S. BEARNARD. ad fratres de monte Dei. Elige tibi, inquit, tu ipse hominem consilio meo, cuius vitæ exemplar sic cordi tuo inseletur, reuerentia inhaeris, vt quoties eius recordatus fueris ad reuerentiā cogitasti assurgas, & te metipsum ordines & componas, qui cogitatus, ac si præsens sit, in affectu mutua caritatis emendet in te omnia emendanda, & tamen nullum patiatur damnum secreti sui solitudo tua. Hic præsens tibi adsit, quandoque volueris: occurrat saepe & cum nolueris. Incepciones eius describo tibi, &c.*

P. Blesensis Balthon. archid.

ADDE aliud exemplum PERRI BLESSENSIS qui ante annos 400. in Ecclesia Dei floruit. Is in inuectiua aduersus obretractorem sic scribit. *Diū à retroactis temporibus aliquem tui ordinis (Cisterciensis) virum semper mecum habui, meæ conuersionis testem, mei que corporis & animæ Angelum & custodem. Vnū tan. en elegi, & prælegi mihi à lectum Deo & hominibus, quem iudicio meo lōge differet.*

differentiis multis quadam præminentia probatissima religionis illustrat, &c. Ipse procul dubio amicus Dei est, canonica institutionis serenissimus amulator, sua carnis crudelissimus aduersarius, &c. Memoriam eius posui tanquam signaculum super cor meum, cuius humilitatem, maturitatem, prudentiam, constantiam, & ut includam multa paucis, incomparabilem honestatem in interioribus meis iugi recordatione circumfero quantumcunque permittit conuersatio secularis ad exemplar illius quasi ad fragilli spiritalis imaginem me consigno.

VIDE V. Consuetudo praua. Familiaritas nimia. Lingua abusus. Societas praua.



F

FAMILIARITAS NIMIA.

Remedia contra eandem.

PRIMUM Remedium. Considera familiaritatem nimiam inter ea vitia numerari, quæ speciem quandam virtutum mentiuntur, & idcirco non facile eam à virtute caritatis, vel amicitia posse discerni. De quo genere vitiorum sic scripsit aduersus Pelagianos **HIERONYMVS**. *Vicina sunt vitia virtutibus, ut si paululum declinaueris, aut errandum tibi sit, aut in præceps cadendum. Quantum inter se distant, pertinacia & perseverantia, parsimonia & frugalitas, liberalitas & profusio, prudentia & calliditas, fortitudo & temeritas, cautela & timiditas, quorum alia ad bona, alia referuntur ad mala? Quæ causa forte est, ut nullus ex præfatis Patribus, extra **S. BASILIVM** in diiudicandis humanis affectibus verè lynceum, huius vitii meminisse videatur. Sed nec recentiores Scriptores, nisi paucis verbis, hunc morbum attigerunt.* Hier. lib. 3.

II. REMED. Considera sedulo omnia quæ à **BASILIO** de hoc morbo prodita sunt. Sic enim in sermone de institutione monachorum scribit. *In communi contubernio neuiquam patitur charitatis lex ali quas coiri seorsum, aut amicitias, aut sodalitates. Siquidem nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ, quæ in hanc magis, quàm in illam propendent partem plurimum incommodent communit omnium concordia. Quare æqualiter se diligere inter se omnes debent: idemq; ergo*

N *unger.*